

**Dissertatio medica inauguralis exponens naturalem morborum
incantamentis magicis falso adscriptorum explanationem ... / [Erich Gustav
Toppius].**

Contributors

Toppius, Erich Gustav.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Conradum Wishoff, 1728.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/u6vzws9c>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISSERTATIO MEDICA
 INAUGURALIS,
 EXPONENS NATURALEM MORBORUM
 INCANTAMENTIS MAGICIS FALSO AD-
 SCRIPTORUM EXPLANATIONEM.

QUAM,
 ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS WESSELII,

S. S. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE IN ILLUST. ACAD. LUGD. BAT.
 PROFESSORIS ORDINARIII ET ECCLESIE IBIDEM PASTORIS.

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
 & Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
 ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

ERICUS GUSTAVUS TOPPIUS, Iltena-Luneburgensis.

Ad diem 29. Aprilis. 1728. hora x. loco solito.



LUGDUNI BATAVORUM,
 Apud CONRADUM WISHOFF, 1728.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
 LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
 LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
 LIBRARY

PLURIMUM REVERENDO
DOCTISSIMO QVE

VIRO,

JUSTO HENRICO SCHAPER,

SUDWALDENSI ALIORUMQUE ADJACENTIUM

OPPIDORUM VERBI DIVINI MINISTRO

VIGILANTISSIMO,

PRÆCEPTORI QUONDAM FIDISSIMO,

FAUTORI ET AMICO PERPETUO AMATO

ET AMANDO,

HANC

INAUGURALEM DISSERTATIONEM

IN HUMANISSIMAM GRATIARUM ACTIONEM

fovet & offert


AUCTOR,

CANDIDE ET BENEVOLE LECTOR.

Suscepi, Academia sic jubente, Inauguralis Speciminis loco, considerandos morbos, qui Incantamentis adscribuntur, ea quidem mente, ut inquiram, quid hi morbi horumque miranda & intricata symptomata vere designent, atque ex causis naturalibus perpensis, quantum possibile erit, deducam, quod pleraque phenomena, in morbis his obvia, non adscribenda sint fascino, magis, sagis, vel incantationi, sed causis mere naturalibus. Hoc ut fiat, opus erit, ut simplicissimam phenomenorum indolem luculenta demonstratione detegamus fieri a causis, nulla ratione supra-naturalibus dicendis. Hic erit Dissertationis scopus, hæc norma. Tu Lector Benevole æquum feras iudicium, an sat firma sint proposita, ut destruant eorum, qui contraria statuunt, sententiam. Valeto!

fact & offert

AUCTOR.



DISSERTATIO MEDICA
 INAUGURALIS,
 EXPONENS NATURALEM MORBORUM
 INCANTAMENTIS MAGICIS FALSO AD-
 SCRIPTORUM EXPLANATIONEM.

§. I.

Originem ducimus ab ipso totius controversiæ statu, in quo potissimum quæritur, an nempe vere tales reperiantur morbi, qui a maleficis hominibus methodo supra-naturali, & quidem mediante dæmonis auxilio & suggestu, postquam patum cum eo iniverint, in aliis hominibus excitantur.

§. 2. Hæc memorata sententia a tot jam retro seculis adeo firmiter in plerorumque hominum mente invaluit, ut stabilita ferme, & difficile plenum opus sit alexæ intendere hujus eversionem: nihilominus recentiores pensiculate rem considerantes cœperunt dubitare, tam de vi, quæ incantamen-

tis adscribitur, quam & de vera magorum sagarumque existentia; neque tamen hi omnium primo hanc dubiam declararunt sententiam, sed & ipse jam suo tempore Medicorum princeps HIPPOCRATES, *de morbo sacro*, ne utquam ad magicam superstitionem decurrit, sed, quantum potest, acriter contra magicam insurgit, & naturaliter omnia symptomata explicat, etsi mirabilia visa fuerint. Simul inter Ecclesiæ Patres S. AGOBARDUS scripsit singularem librum, quo demonstraret publice, quod magis ceterisque non sit tanta potentia, ut sterilitatem inducere, turbinum & tempestatum diversitates causari, aliaque, quæ plebs iis communiter adscribit, supra-naturalia efficere queant.

§. 3. Et licet illi, qui hac de re scripsere, Auctores magis sagisque, si non impossibiles, tamen incredibiles adscripserint effectus, alii tamen medium amplectendum esse satius duxerunt, iisque, nulla habita auctoritatis ratione, quædam ex his traditis adsumere & credere placuit; certa ergo sequela rem ipsam pluribus subjecere difficultatum tricis: etenim non memorando, quod medium minime efficiat veritatis criterium, tamen maxime necessum fuisset demonstrasse, quare, quum auctoritatem scriptoris in uno rejiciant, contra in aliis adsumant, illa non in omnibus aliis eandem rem tractantibus aut recipiatur, aut prorsus exterminetur.

§. 4. Quum autem plurimi harum rerum scriptores enarrata hæc raro ipsi viderint, aut saltem rem ipsam non requisita circumspeditione inquisiverint, hinc quantum in his & tempus & angusti Dissertationis hujus cancelli permittent, lubentius præprimis acta sequemur publica, quum in hisce ut plurimum accuratius paulo examen reperiatur, quamvis & his ipsis haud semper & in omnibus hisce fides haberi queat, prout pluribus hæc deinceps demonstrabuntur.

§. 5. Non quidem illud, quod Auctores pro magorum & morborum ab incantamento causa stantes, ex sacris literis afferre conantur, haud videtur proprie huc referendum, quum inde pactum cum diabolo demonstrari nequeat, eoque minus historia 1. SAMUEL. Cap. 28. heic locum reperit,

rit, quum ibidem nulla fiat mentio, quod saga Endorientis morbos fascino suo produxerit, neque & heic eandem ob rationem recenseri potest **SIMONIS MAGI** in **ACT. APOSTOL.** Cap. 8. historia. Id vero, quod de magis Ægyptiacis extat, jam multi orthodoxi Theologi, etiam Augustanæ Confessionis, naturaliter explicari voluerunt, de qua re reminiscor, quod quondam Consistorialis Cellensis, *Beatus* **I. S. HOSEMANN**, suis in scriptis promiserit, quod in publicum sit missurus Apologiam Magorum Ægyptiacorum, neque dubito, quin hæc accurante ejus filio, Reverendo **GUSTAVO CHRISTOPHORO**, **HOSEMANN** Ecclesiæ Ministro Woldenhornensi, intimo meo amico & sanguine juncto, lucem sit visura.

§. 6. Vix ergo discerni ex sacro Codice potest quidquam de pacto cum dæmone instituto illorum, qui magi sagæque inculati sunt. Videndum nunc est, an ex profanis demonstrari talia queant, quæ hanc rem similiter tam planam faciant, ut de pacto dæmoniaco & inde derivata incantatione vix aut non cogitandum sit. Et quidem primo occurrit antiquum illud asylum Medicorum, quod, si in morbis convulsivis vehementioribus remedia aliter præsentissima contra dolores, convulsiones & spasmos omnem exuerint efficaciam, ilico confugiant ad commune adagium, esse supra-naturalia, & a magia diabolica orta, nec posse medicinam his malis dare medelam, qua conclusione, quod curare, si non ob ignorantiam, ob morbi tamen violentiam, nequeunt, ilico magicum nominant, qua tamen interpretatione vulgo satisfieri nolunt.

§. 7. Ipsas conspice personas, quibus hæc imputantur facinora, magos, sagas & id genus alias, an in his reperias, quid de iis tanto profertur murmure, aut an tanta reorum captivorumque confessioni fides tribuenda sit, ac quidem fit communiter: equidem res ita sese habet, ut plures extent historiæ, totque sint obvii ubique casus, quibus hi homines ut plurimum melancholicæ temperiei diuque secum meditabundi hærentes reperiuntur: notum autem est, quod, quæ
in

in melancholicis firmior infigitur menti perpetua cogitatione idea, illa exclusis ceteris, fortiter impressa maneat, sique de aliis sermo fiat, hæc intermixta eorum imaginatio simul proferatur semper, nec expelli fere possit; sic concipe idem contingere in his: objectum autem præbeant cogitationes de rebus magicis haud extinguibiles, has reputabunt, has meditabuntur, hæc toties repetitæ placebunt, adeo ut tandem omnes, quas his in rebus sibi fingunt, ideas, veritates putent, nec erubescant easdem propalare. Hinc observatum est, quod hi homines publice professi fuerint, se pactum cum dæmone iniisse, se maleficos esse, atque malorum pœnas luere debere; dum tamen sola duntaxat iis nata firmior in hæc magica objecta mentis actio efficit totum malum, iisdem circa cetera vix ac ne vix quidem desipientibus.

§. 8. Quale affert exemplum *Celeb. VALENTIN.* in Pandect. Med. Leg. T. 1. p. 163. seqq. *de Doctore se maleficum censente*; pariter Egregius *DAN. SENNERTUS* allegat Prax. Lib. 17. p. 9. C. 5. quod sagæ ipsæ in carcerem conjectæ confessæ sint, se mala inflammatoria cum maximis doloribus induxissc civibus illo morborum genere tum afflictis; quæ tamen mala nil præternaturalis portendisse idem testatur *SENNERTUS*, atque enatos tumores tales similesve fuisse, qui ab interno humorum vitio provenire potuerunt, & quales in aliis etiam sine omni veneficii suspitione observavit curavitque; hac etiamnum ratione fere exacte congruente *Celeb. VALENTIN.* in Pand. Med. Leg. T. 1. p. 165. *meminit vetulæ, se publice veneficam profitentis, & hoc vel illud veneficium commississe autumantis, quæ tamen imaginatio melancholiæ ortum debebat.* Magnum autem est exemplum Egregii *BOHNII* in Opere de offic. Med. dupl. p. 679. integerrime juxta speciem facti recensitam, quod profecto non excerpi, sed totum hac transcribi mereretur, nisi molem Dissertationis nimium augetet, quare heic compendio hanc recensebo: *Mulier quædam criminis veneficii, pacti & commixtionis cum satana accusata, testibus convicta & ultro confessa, demum*

demum nihilominus melancholica pronunciata, & a delictis illis absoluta, sponte ipsamet fatebatur & narrabat, quamvis subconfusis admodum & incredibilibus hinc inde circumstantiis, quod sæpius dæmon mox felis fusci, aliquando canis atrii, quandoque fuci majoris specie cum ipsa coiverit, seque foetus dæmoniacos varios gestasse, ac exclusisse tales, qui frustum carnis aut murem æquabant, assererat, simulque quod partus tales in aqua solutos jumentis propinaverit, quæ inde necata fuerant, imo ipsi quibus custodia demandata erat, jurejurando asseverabant, se congressum dæmonis cum illa conspexisse. & quod mirum, linteamina corpori mulieris superinstrata sustulisse, atque baculo pudenda feruisse, ut sic abigerent incubum, & quæ plura erant ludibria; verum enim vero, inquisitione accurate facta, revera amens & perphantasmata turbulenta hæc falsa loqui deprehendebatur mulier, resque ipsa testium imaginationi debebatur, qui, licet adstantes, plus ex auditu & præconcepta opinione, quam rei veritate deposuerunt. Hinc liquet, quod ipsis reis adhiberi nulla fere fides in his propositis queat. Et sane maximum, quod sagas, ita putatas, longe firmiores & pertinaciores in errore reddit, est methodus, qua variis narcoticis linimentis ex opio, hyoscyamo, cicuta, solani somniferi baccis, similibusque, tam inducentibus stuporem, quam & in profundissimo somno mirabilia phantasmatum genera obtrudentibus, paratis, unguent carpos, pedum plantas, tempora &c. hoc enim facto ilico experiuntur adhibitorum vim, unde miris prius factis ceremoniis, in gyrum nempe eundo, corruunt, altoque sepultæ somno jacent; interim narcotica simul stupendum in modum earum sensorium mutant, ut se ad convivia sympotiaque per aërem rapi & volitare, incredibile videre & perficere, concubium cum dæmone celebrare censeant, &, cessante illiti unguenti vi, evigilantes (dum interim se in eundem, unde avolarant, locum rediisse putant) hæc omnia patrata perpeffaque enarrare & asseverare norunt mira facundia. Quales historias sæpe visas recensent plures & Clarissimi Auctores, ut DAN. SENNERTUS *l. cit.* JOH. BAPT. PORTA *in magia natural. Clar.* FRED. HOFMANN. *in*

Dissert. de potentia diaboli §. 6. & GODELMANN. in Tract. de magis Lib. II. Cap. 4. aliique: quo etiam multum enormis tortura, qua hos accusatos ad confessionem urserunt, licet re ipsa innocentes essent, facere videtur.

§. 9. Corruit ergo sua sponte hoc, quod tanquam potissimum & potentissimum afferebatur, argumentum, sagarum existentiam & cum dæmone commercium comprobans; videmus nunc facile omnem hominis memoriam, gentium fidem, magistratum edicta & judicia vix quidquam conferre ad probandam existentiam præstigiatorum, quia in veritatis præjudicium nemo exin asserere aliquid valet.

§. 10. Neque hinc obscurum est, quid de testimoniis Auctorum allatis statuendum sit, & an bini ternive testes, ut & ipsa sagarum ita dictarum confessio propria sufficiant ad stabiliendam veram earum existentiam, licet etiam testes creduli concordent, uti de hac re perquam docte scribit Cl. BOHN. *de Offic. Med. dupl. p. 679.* Si enim inquiratur, quales esse debeant, & quomodo constituti, hic profecto plurima requiruntur; & quidem hos ego æquos rei iudices agnosco, hosque testes convoco, qui nulli præjudicio inhærentes, non seposita eorum sinceritate, solam inquirunt exacto scrutinio veritatem, neque si symptomata & causæ, naturalibus majora, videantur, primo, ilico admirabundi putent, ea ab incantatione orta fore; qui enim illa nimis subito miratur, is certe ignorantiam suam aperte exponit, nec novit incredibilem morborum vim; e contrario autem opus est, ut ex incorruptis experimentis Physico-Medicis deducat, ad ultimum possibile, omnia phænomena, hisque ad amussim pensitatis concludat vere, ut res se habet: & hæc erant, quæ desiderabantur in tot enarratis de incantamento observatis.

§. 11. Haud igitur sufficit adducenda hinc & inde experientia, nam & pleraque de his observata, solitario raroque exemplo suffulta, omnem haud exuunt dubitationem, quo minus de instituti examinis veritate & accuratatione remaneat ingens sæpe scrupulus.

§. 12. Etenim si hac (§. 10.) lege & necessario requisita debitaque circumspectione, omni seposito præjudicio & perversa imaginatione, examen fiat, tum profecto contrarium cernitur, & omnia incantamenti adscripta mala a causis mere naturalibus oriri deprehenduntur, sicque explicari sat commode queunt.

§. 13. Quæ & unica solaque est ratio, quare hodiedum, dum soli fidæ & multiplici experientię superstructo scrutinio fidem adhibemus, non vero aliis historiis, tam rara fiat de incantatione mentio, atque tam altum de ea nunc sit silentium; eoque major sit hujus asseveratio, quoniam plurima occurrentia symptomata rite inspecta, constitutioni morbosæ affectoque corpori debentur; uti ordine pleraque heic recensenda explanabimus.

§. 14. Ita proponitur subito orta cum horrendis & anomalis symptomatibus convulsio pro incantamenti signo; at hujusmodi miram historiam heic allegabo ex Celeb. VALENTIN. Pand. Med. Leg. T. I. p. 176. ut ex hac inquisita pateat phœnomenorum explicatio: Hysterica nempe, pro dæmoniaca habita, accusabatur incendium & dæmoniacum concubitum patrasse, atque, ut in requisitione perhibetur, illam jam mentis suæ compotem esse, at hoc momento loquela privari contorto capite in dorsum, ventremque intumere, ita ut murmura auditu percipi ab adstantibus possint: verum qui hanc consideras historiam, an igitur foeminam dicendam putabis sagam, dæmoniacam, vel a dæmone obsessam; profecto qui symptomata norunt, in epileptica vel hysterica exagitatione frequentia, alia judicabunt; quid enim, si veram explicemus rei naturam, aliud putas hic evenire, quam quod paroxysmus convulsivus in opisthotonon, sive corporis in postica intorsionem degeneret, nec mirum, quod hic loquela durante paroxysmi vi pereat, cum cerebrum mire patiat; frequentia autem sunt hysterice murmura ventris, quæ ingruente earum passione multum audias; etenim nervosissimæ iunt intestina, atque motu peristaltico perpetuo aguntur: si nunc causahunc motum natu-

raliter perficiens augeatur sua in actione, major fiet motus vermicularis, adeoque affricatio major laterum intestinorum, unde sonorum adstantibus auditur murmur; quod certe ratiocinium ubique locum reperit, ut igitur incantationi minime adscribenda sint hæc symptomata, sed causis simplicissimis & naturalibus: neque & subito orta convulsio convincere mentem potest, quod ab incantatione excitari queat; sæpe enim tam subito oritur epilepsia a multiplici nec prævisâ causâ producta, ut nullum fere signum hujus jamjam instantis insultus eruere queas: *idemque morbus adeo mira facie variatus tam mirabilis apparet, ut Diis, dæmonibus, iræ divinæ, incantamentis & similibus causis naturalibus majoribus adscriptus sæpe fuerit, inquit Excellentiss. Dom. Prof. BOERHAAVE in Aphor. de cognosc. & curand. morb. de Epileps. §. 1072. pergiturque sequenti §. nullam gesticulationem, inflexionem posituramque nosci, quam non aliquando exhibuerit; porro omnes quoque nonnunquam hunc morbum æmulari motus, cursus, ambulationis, gyrationis, prostrationis, decubitus, erecti rigidique corporis species, eadem ingenii acie ait prælaudatus D. BOERH.*

§. 15. Equidem non video, quid juvet, ut & tanquam signum diabolici pacti aut incantamenti huc accenseatur blasphematio Dei ejusque verbi abusus, & obscœnarum econtrario rerum tractatio: qui enim novit melancholiam, maniam, quæ uno duntaxat gradu melancholia major est, rabiem caninam similesque morbos hanc in ægris producere constitutionem, ut recto rationis usu priventur, & jam mente captis indifferens sit, quid proferant, cum sibi non consentent, nec ipsi, an mala an bona loquantur, sciant, an ergo hos tam misere affectos accusabis, quod dæmoni ex pacto associati nunc blasphemias divinum feriant Numen? esset certe factum nulli rationi innixum. Namque in homine a cane rabido demorso orta fuisse blasphematio observata est *Celeberr. VALENTIN. Pand. Med. Leg. T. 1. p. 244. cum tamen nulla unquam suspicio pacti dæmoniaci visa fuerit: sed miser ante morsum sanus, nunc ita per rabiem mutatus hæc protulit, atque id hoc in malo, asserente ita Excell. D. Prof.*

Prof. BOERHAAVIO Aphor. §. 1138. a cogitationum alienarum & insuetarum perturbata valde serie ortum trahit: in mania item horrendas excitari imaginationes idem Celeberr. Vir asserit *l. cit. §. 1120.* ergo profecto idearum naturam sensa expriment, minime curando, quid aut quam rem tangent.

§. 16. Sed regeritur, nihilominus hanc rem probari inde, quod videatur hoc hominum genus varias detegere revelationes rerum, quæ aut jam facta sunt, aut fient deinceps, videretur hoc multum stringere argumentum, quod nempe prævisæ a dæmone res his detectæ hominibus proderentur, quæ tamen naturaliter scitu impossibiles forent: veruntamen imprimis maximopere in dubium vocatur historica fides; cum enim hæc, ut prius satis superque demonstravi in supra allegatis, tam immensum fallebat, sic & majorem requirerem ejus veritatem, quoniam etiam tam multiplicia, mox hujus, mox illius rei proferunt, fit sæpe, ut unum ex tot millenis vagis dictis tractu temporis veritatem assequatur, illi autem, qui revelationem hæc appellari volunt, mirum quantum hallucinantur!

§. 17. Pluribus autem idem confirmare tentant, ut si accusatus peregrinas loquatur sine prævia instructione linguas, & quidem id tanquam magnæ & profundæ meditationis res consideratur; sed eadem prius allegata ratio de veritate historica dubia hic repetenda erit: dein quoque hic multum facit considerasse ipsos homines, qui licet stupidi videantur, tamen olim audivere verba quædam linguæ cujuscunque peregrinæ, quæ licet ante non contemplata multum, nunc tamen, turbato toto cerebro, atque liquore nerveo vehementius exagitato, recidunt, exprimuntur, atque sic imponunt adstantibus linguarum harum scientiam: exemplum hujus tradunt ebrii homines, qui licet de vulgo geniti, & peregrinæ linguæ omnino ignari sint, dum mente constant, tamen in ipsa ebrietate varia proferunt alienæ sibi linguæ verba, quæ in pristinam redeunt memoriam.

§. 18. Neque hic robur, omnem humanam vim superans,

quidquam dilucidationis affert in re tam obscura incantationis, aut confirmabit, quod hi tam ingenti robore validos habeant musculos, ut nec catenas, carceres &c. timeant, omniaque diffringere levi negotio valeant, quæ incredibilia peractū censes: at vero commune id signum est in maniacis, teste *Excell. Prof. BOERHAAVIO*, *l. cit.* §. 1120. dum in hoc morbo immensum robur musculorum esse inquit, quod ergo a causa morbifica hac pendere, non vero ab incantamento, debet.

§. 19. Maximum autem phænomenon certissime supra-naturalia & præstigiosa monstrans esse ajunt, quod videant varia heterogenea exclusa vomitu, alvo & abscessibus; quod fieri tamen potest per generata ex ovis insectorum, cum cibo potuque ingestis, insecta, quæ sedem suam ibi figere valent, atque horrenda symptomata edunt; ita & vomitu & fortiori corporis concussu sua sede depelli possunt & eliminari: pariter uti *MATHYRIN DE LIGNAC*, *sur la generat. des insectes dans le corps*, observat, quandoque in abscessibus reperiri varia insectorum genera, quæ generata in corporis partibus hærentia, sibi & vicinis obstructionem faciant, atque irritationem creent, unde supervenit haud difficulter inflammatio, quam excipit sæpe abscessus, sic excutiuntur hæc ipsa una cum pure insecta, simplici nunc explanatione mali, aliter haud facile concipienda; sed inferitur contra, quod sæpe acus, filamenta ceteraque heteroclitia per abscessus suppuratos de corpore abeant; est fateor res stupenda, & modus, quo in corpore gignuntur, omnem videtur effugere de his conceptum; ni sceleratæ fraudes, quæ his in malis astute producuntur, concomitarentur. Unam hic recensebo historiam (quarum plurimæ possent enarrari) hæc clare demonstrantem, quæque paucis abhinc annis *Annebergæ* contigit: Namque puella sese ab incantamento orta mala pati confitebatur publice; constituebantur præter medicum a tribunali commissarii, qui omnia inspicerent, atque puella custodiebatur, post inquisitionem apparebat abscessus, atque eo suppurato acus prodibant prima deli-

deligatione sine capitulis plurimæ; at altera deligatione & reliquis insequentibus, reperiebantur varia heterogenea filamenta & cetera, quibus conspectis res dubia commissariis videbatur, hique tale instituebant examen, & tanto cum rigore, ut confessa tandem fuerit, se ipsam absque sensibili dolore has acus per cutim in pinguedinem intrusisse, dein autem sefellisse, quod alia apposuerit, ut sic, dum se pro incantata sisteret, receptis eleemosynis paupertati suæ consuleret, illaque præsentibus iudicibus intrusit laxæ cuti pone mammam acus abscissis capitulis sat commode. Sic certo patet, quam fallax sit iudicium tale tamque præcox, quale post primam curationem renunciabatur, sed impostura apparuit, cum rigor & minæ reliquis superadderentur, licet Medicus magis lucro, quam veritati inhians acta hæc contra commissarios imprimi curaverit. Hinc sole meridiano clarius elucet, quod de tot descriptis, & auctoritate publica magistratum donatis historiis earumque veritate censendum sit in hisce, quam quoque materiem jam prius §. 9. detegimus.

§. 20. Postremo autem, si curam spectare velles allegatorum morborum, esset in his procedendum, prout in aliis præmissis viam monstravimus; non enim est remediis incantationi dicatis, ridiculis certe, ut stercorei humano s. v. quo odium diabolo excitent in humanum genus, fidendum, sed potius inquirenda sunt ipsa phænomena, eorumque naturalis constitutio, ut ita possemus rite inspecto malo ejus causæ obviam ire: si ergo ab imaginatione melancholica ortum traxerit malum, contrario experimento sæpe ita mutatur totum sensorium commune, ut hi in pristinum redeant statum, prout §. 7. dixi. Si epilepsiam videas mira convulsione prodeuntem, videbis, an inquirere queas ejus naturam & ortum, num idiopathica sit, an sympathica, cum hæc sæpe integram admittat curam, illa autem vix ullam, & ne semper quidem palliationem; si cernis ab affectione hysterica oriri malum, opus est, ut ea adhibeas, quæ anthyserica nominantur, tali tamen tamque cau-

ta circumspectione, qualem morbi genius, subjectum & reliqua requirunt: sic poteris remediis naturalibus sæpe tollere, sæpe autem mitigare tantum hæc omnia ab incantamentis falso allegata mala, sæpe & in nimia morbi violentia efficies remediis omnino nihil. Hacque ratione pertractanda res erat, ut sic effugeremus labyrinthos, quæ toties plurimi impliciti sese extricare non potuerunt. Summo itaque Numini gratias maximas refero, quod ad hæc perficienda vires benefice dederit, atque sic huic Dissertationi coronidem impono.

F I N I S.

